

**MISSALE
ROMANO-
AVGVSTINVM**

**SECVNDVM RITVM
SACRI ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS**

**AVCTORITATE & IVSSV
REVERENDISSIMI D. D. ALANI DECOVRS
CONGREGATIONIS PRETIOSISSIMI SACRAMENTI FISCANENSIS SVPERIORIS
NOVISSIME EDITVM**

**CVRA & STVDIO
DD. BERNARDI FRAGV & MARCI ANTONII POTTIN
IVXTA TRADITIONEM ANTIQVISSIMAM ORDINIS
AVCTVM & REPVRGATVM**

**FISCANI
ANNO REPARATÆ SALVTIS MMVIII**

ORDO MISSÆ

IVXTA MISSALE A.D. 1578.

Dum sacerdos vestes sacras induit, preces a sancto Ambrosio, sancto Thoma Aquinate sanctoque Bonaventura compositas recitare potest.

Dum manus abluit : Largire sensibus nostris.

Ad amictum : Humeros et pectus meum Spiritus Sancti gratia protege Domine : renesque meos a vitiis omnibus absterge, ad sacrificandum tibi Domino Deo regnanti. Per Christum.

Ad albam : Indue me Domine ornamento humilitatis, castitatis, et pacis : et circumda me lorica fortitudinis. Per Christum.

Ad zonam : Lumbos meos zona justitiæ circumcinge Domine : et circumda vitia cordis et corporis mei. Per Christum.

Ad manipulum : Da Domine virtutem manibus meis ad abstergendum peccati maculam : ut mundo corde, et caste corpore tibi valeam ministrare. Per Christum.

Ad stolam : Stola justitiæ circumda Domine cervicem meam : et ab omni corruptione peccati purifica mentem meam. Per Christum.

Dum casulam induit : Induit me Domine vestimento humilitatis, caritatis, et pacis : ut undique protectus atque munitus, valeam resistere vitiis et hostibus mentis et corporis. Amen.

Initium Missæ : Judica me Deus, et discerne. Introibo ad altare Dei. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Ad confessionem : Confiteor Deo omnipotenti, et beatæ Mariæ, et omnibus sanctis, et vobis fratres, quia peccavi cogitatione, locutione et opere. Mea culpa. Ideo precor te Virgo Maria, et vos omnes Sancti, et vos fratres orare pro me.

Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis omnibus peccatis tuis perducatur te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum nostrorum et gratiam sancti Spiritus tribuat nobis Omnipotens et misericors Dominus.

Post confessionem ante altare : Aufer a nobis, quaesumus Domine, cunctas iniquitates nostras, ut mereamur puris mentibus introire ad sancta sanctorum. Amen.

GLORIA IN EXCELSIS IN FESTIS B.M.V.

Gloria in excelsis Deo (...) Domine Fili unigenite Jesu Christe, Spiritus et alme orphanorum Paraclete. Domine Deus Agnus Dei, Filius Patris, Primogenitus Mariæ Virginis Matris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram ad Mariæ gloriam. Qui sedes ad dexteram Patris miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus Maria sanctificans. Tu solus Dominus Maria gubernans. Tu solus altissimus, Maria coronans Jesu Christe. Cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Benedictio super diaconum: Dominus sit in corde et in ore tuo ut digne annunties Evangelium Christi.

Benedictio incensi : Ab eo benedicatur in cujus honore crematur. Amen.

Dum ponitur aqua in calice : Fiat hæc commixtio vini et aquæ pariter in nomine Domini nostri Jesu Christi, de cujus latere exivit sanguis et aqua.

Dum offertur hostia et calix : Panem cælestem + et calicem + salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Dum calix cooperatus fuerit : Veni invisibilis sanctificator, sanctifica hoc sacrificium tibi præparatum.

Statim sacerdos inclinans se, dicit : Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam passionis, resurrectionis, ascensionis Domini nostri Jesu Christi : et in honorem Beatæ Mariæ semper virginis, et sancti Ioannis Baptistæ, et omnium cælestium virtutum, et omnium Sanctorum qui tibi placuerunt ab initio mundi : et illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem et ut illi omnes pro nobis et pro cunctis fidelibus vivis et defunctis orare dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris. Qui vivis et regnas.

Deinde Sacerdos versus ad populum dicit : Orate fratres pro me peccatore, ut meum pariter et vestrum in conspectu Domini acceptum sit sacrificium.

Responsio populi : Dominus sit in corde et in ore tuo : suscipiatque Dominus Deus de manibus tuis sacrificium istud : et orationes tuæ ascendant in memoriam ante Deum pro nostra et totius populi salute.

Actio.

Communicantes : **Hic levet manus in altum.**

Vnde et memores : **Deinde extendit brachia in modum crucis.**

Supplices te rogamus : **Profunde inclinatus cancellatis manibus.**

Omnis honor et gloria : **Hic tangat calicem cum oblata et mutet vocem, nec reponat hostiam super corporale, sed teneat eam super calicem quousque pervenerit ad Panem nostrum, et tunc ostendat manu extensa, et elevata supra latus dextrum, magna cum reverentia, more matricis Ecclesiae Praemonstratensis, ut adoretur Christus oblatus in hoc augustissimo sacramento pro omnibus.**

Post orationem dominicam, hic elevet patenam dicens sub silentio : Libera nos.

Commixtio : Hæc sacrosancta commixtio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat mihi et omnibus sumentibus salus mentis et corporis, et ad vitam capessendam æternam praeparatio salutaris.

Deinde dicit : Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis.

Ad pacem.

Habete vinculum pacis caritatis et pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei. Amen.

Dum diaconus osculum pacis accipit respondet : Pax tibi Pater, et sanctæ Ecclesiæ.

Subdiaconus accipit pacem datque novitiorum ministro qui Abbati dat Communitatque dicens : Pax tibi Frater, Christus enim pax nostra offertur Deo in reconciliationem nostram. Et ideo nos invicem reconciliatos esse oportet, ut hæc hostia oblata sit nobis propitia. **Non ascendet autem Novitius gradus superiores, sed manebit in subsellis inferioribus.**

Ante perceptionem : Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti :

libera me per hoc sacrum Corpus et Sanguinem tuum, a cunctis iniquitatibus, et universis malis, et fac me tuis semper obœdire mandatis, et a te nunquam in perpetuum permittas separari. Qui vivis.

Oratio ante communionem : Veni Domine Jesu Christe, veni, cui ego miser peccavi. Veni et obliviscere peccatum meum pro quo effudisti sanguinem tuum. Veni Jesu dulcissime et da mihi cibum salutis æternæ. Veni infirmorum medicus, veni jejunantium cibus. Veni et visita domum istam nomini tuo dedicatam. Veni dilecte mi : teneam te et in æternum ne dimittas me. Veni gaudium spiritus mei, veni lætitia cordis mei, veni exultatio et gloria mea, ut delectetur in te anima mea. Ecce pie Jesu ad te venio, in quem spero, quem tote corde desidero, quem tota mentis intentione aspicio, quem totis visceribus amplector, cujus Corpus et Sanguinem suscipere cupio ; et ultra in me maneat, et usque in æternum me non dimittas. Amen.

Post perceptionem: Perceptio Corporis, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere præsum, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre per omnia sæcula sæculorum.

Tum Sacerdos ambas hostiæ partes in manu sinistra accipit dum dextera pectus percutit dicens semel : Domine non sum dignus etc. **Signans se prosequitur** : + Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen. **Tum Sacerdos discooperit Calicem dicens** : Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. **Et accipit Calicem, signatque se dicens** : Sanguis Domini nostri Jesu Christi, custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Tum Sacerdos reponit Calicem dicens : Quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Sacerdos deinde Calicem porrigit ministro, qui in eo paulum vini et aquæ infudit. Postea sacerdos dicit : Corpus tuum Domine quod sumpsi, et Sanguis quem potavi, adhaereat visceribus meis ; et præsta ut in me non

remaneat ulla scelerum macula, quem tam pura et sancta refecerunt sacramenta. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

ITE MISSA EST etc.

Placeat.

Prologium Evangelii secundum S. Iohannis : In principio etc. **Quod si hoc Evangelium iam lectum sit, legitur Evangelium :** Missus est Gabriel **ex feria IV quattuor temporum Adventus.**

Ad gratiarum actionem Aña. Trium puerorum, Benedicite', etc.

In Missalis Appendice sunt B.M.V. sequentiæ VIII cum aliis in Communi Sanctorum Martyrum Confessorumque positis.